



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

LXXXIII. Der Dechant Heinrich vergleicht Uneinigkeiten zwischen den
Domherrn und den Vicarien zu Stendal, am 30. Septbr. 1314.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

ibidem necnon Slotheko nostre prothonotarius Curie, cum aliis pluribus fide dignis. Datum Sandov, per manum Hermanni de Luchove nostri Clerici. Anno Domini M^o. CCC^o. XIII^o In Crafino beati Johannis baptiste.

LXXXIII. Der Dechant Heinrich vergleicht Uneinigkeiten zwischen den Domherrn und den Vicariis zu Stendal, am 30. Septbr. 1314.

Henricus, dei gratia Stendaliensis Ecclesie decanus —. Quia canonici Ecclesie nostre Stendaliensis super quadam dissensione, ex errore quodam probabili Suborta inter eos ex vna et omnes vicarios Ejusdem Ecclesie parte ex altera, in nos tamquam in arbitrum vna cum predictis vicariis compromissum libere inierunt, penam Stipulationis sentencie nostre arbitrande nostro arbitrio relinquentes, Nos igitur hujusmodi arbitrii onus in nos suscipientes, Visis, auditis, intellectis nichilominus et examinatis vtrarumque partium positionibus et juribus, deliberatione habita diligenti, pro bono pacis et concordie et vigore compromissi ordinamus, arbitramur, diffinimus, dicimus atque precipimus, Quod predicti canonici prenomatis vicariis in festo walburgis XXV solidos et in festo beati martini totidem annis singulis erogabunt, prescriptorum vero denariorum quinque Solidi a Scolastico nostro et talentum a cellerario, qui pro tempore fuerint, restabunt prelibatis terminis absque prorogamine quolibet expendenda. Modus autem distributionis sepe dictorum denariorum erit, vt solum debent illis, qui venerint ad memorias illorum fidelium, quorum deuotione prescripti denarii estimantur legati, per distributiones diuidi personales, hunc quidem aduentum Sic ducentes specificandum, vt qui post epistolam ad missam et post tertiam lectionem ad vigilias venerint, a perceptione sue portionis Sint penitus alieni, Sed hec porcio vicariorum sequestro applicabitur pro vtilitate camere in reparationibus et aliis communibus vsibus referuanda. Preterea adicimus, vt sepe dicti canonici dictis vicariis mero fauore et liberalitate ad reformationem camere sue dabunt quinque talenta non redditualiter sed in summa et pecunia numerata. Hec quidem sentencionando pronunciamus saluo nobis arbitrio et potestate declarandi, Interpretando corrigendi super predictis et quolibet predictorum, vbicumque et quando visum fuerit expedire, Si contra sententiam arbitrationis hanc fuerit aliquomodo attemptatum. Facta est hec arbitratio in presentia omnium canonicorum et vicariorum emologantium et approbantium per singula sententiam per nos arbitratam per plenam consensus ratihabitionem misso contradictionis obstaculo interiecto —. — Datum Stendal, anno domini M^o. CCC^o. XIII^o. In crafino Michahelis Archangeli.

LXXXIV. Ritter Heinrich von Rochow legt dem Pfarrer Johann Crul zu Nyendorf und dem Rämmerer Johann Crul zu Stendal Hebungen aus der sogenannten Rochowschen Hufe zu Nyendorf bei, i. J. 1314.

Universis Cristi fidelibus, presentia visuris seu auditoris Henricus miles, dictus de Rochowe, salutem in domino sempiternam. Recognoscimus tenore presentium publice protestantes, Quod honorabilibus viris domino Johanni Crul plebano in Nyendorp ac patrueli suo Johanni Crul camerario, Canonico in Stendal, alterum dimidium Chorum auene et quatuor modios tritici in villa